



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Interdictum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Q U Æ S T I O VII.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

Quæremus primo; Quid, & Quotuplex sit Interdictum? Secundo; quanam ejus effectus? Tertio, quam ob causam feratur? A Quo, & erga Quos? Quarto, de ejus violatione, ac de participatione cum personis interdictis. Quinto, de ejusdem ablatione; Demum, de cessatione a Divinis, quæ Interdicto perfimilis est.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Interdictum?

- I. Per hanc censuram prohibentur omnia divina Officia, nonnullorum Sacramentorum administratio, & Ecclesiastica sepultura. In quo differat ab aliis censuris Interdictum.
- II. Interdictum aliud est Personale, aliud Locale; & utrumque subdividitur in Generale, & Particulare; necnon in latum ab homine, & latum a jure.
- III. Personale Interdictum non trahit locale, nec e converso, nisi forte per accidens.
- IV. Interdictum locale ab omnibus omnino servari debet; esto possit Episcopus ferens hanc censuram etiam ad aliquos effectus illam suspendere, aut tollere.
- V. Civitate interdicta intelliguntur etiam interdicta loca Religiosorum, Suburbia, & Aedificia continentia.
- VI. Ex vi Interdicti personalis generalis quamquam Persona obligentur, & quenam excipiantur? Interdicto dumtaxat Clero, probabiliter non intelliguntur interdicta Persona religiosa.

I. **Q**uæritur primo; Quid veniat nomine Interdicti?

Respondeo, Interdictum esse *Censuram Ecclesiasticam, qua prohibentur omnia divina officia, nonnullorum Sacramentorum administratio, & Ecclesiastica sepultura*. Ita communiter Doctores; Unde fit, convenire Interdictum cum reliquis censuris in hoc, quod privet quibusdam bonis spiritualibus; Differt tamen ab iis, quia Excommunicatio privat Sacramentis, necnon divinis officiis, &c. quatenus continent sacram communicationem cum fidelibus; Suspendio privat spiritualibus bonis, quatenus proveniunt ex potestate clericali, quæ per censuram impedita est: at Interdictum privat iisdem, quatenus continent participationem quandam, & dispensationem rerum sacrarum, quas Ecclesia justis de causis prohibet etiam aliquando innocentibus.

II. **Q**uæritur secundo; Quotuplex sit Interdictum?

Respondeo, dividi primo in Personale, & Locale. Illud afficit immediate personam, prohibendo illi ubicumque sit participationem prædictarum functionum sacrarum: Locale vero afficit immediate locum, prohibendo ne in eo Sacra illa functiones fiant; Quando tamen tam locus, quam incolæ interdicuntur, tale Interdictum dicitur mixtum, complectens utrumque, Locale, & Personale.

Sub-

Subdividitur utrumque in Generale, & Particulare. Primo itaque Interdictum Personale generale respicit communitatem aliquam, puta Civitatem, familiam, Collegium, Clerum, Capitulum, exercitum, &c., in quantum sunt unum corpus politicum, & constringit etiam innocentes, nisi eximantur. Secundo Personale particulare, seu speciale respicit Personas particulares, vel nominatim, verbi gratia, Episcopum, Governatorem, &c., vel in genere interdicens, verbi gratia, omnes, qui tale facinus commiserunt; in quo casu personæ particulares, quamvis ignotæ, interdiciuntur, in quantum personæ particulares sunt, & non in quantum sunt membra corporis politici. Tertio Interdictum locale generale est, quo interdicitur locus, qui a pluribus habitationibus occupatur, ut Regnum, Provincia, Diocesis, Civitas, Oppidum, necnon Parochia, quæ plures sub se Ecclesias habeat, aut Villa. Quarto Interdictum particulare locale respicit certum locum Sacrum, unum, vel plures, verbi gratia, Ecclesiam, aut Ecclesias parochiales; quo nomine comprehenduntur etiam Cappellæ, & Cæmeteria contigua: Quemadmodum nomine Civitatis intelliguntur etiam suburbia, licet ad alterius jurisdictionem sive temporalem, seu Ecclesiasticam spectent, ut sunt Ecclesiæ regularium, & Equitum Sancti Joannis, ex cap. *Si Civitas, de sententia excommunicat. in 6.* tum quia, ut notant Laym., & Avil., accessorium sequitur conditionem principalis; tum quia alioqui parvifere Interdictum, si populus possit divina peragere in suburbis: Et idem dicas ex Avil. de *Ædificiis continentibus*, seu propinquis Civitati, nisi a Civitate distent per aliquod milliare, ex Sylvest. Præterea Interdictum locale generale, & particulare illud etiam habent discrimen, quod

interdicta, verbi gratia, Civitate, neque intra, neque extra Civitatis Ecclesias licitum est divina celebrare: Contra vero interdicta, verbi gratia, una, aut omnibus Ecclesiis Civitatis, licitum est extra tales Ecclesias in aliis Oratoriis ea celebrare.

Dividitur deinde Interdictum in Totale, & Partiale: Illud comprehendit omnes effectus Interdicti; hoc vero solum aliquos; ut si quis tantum interdicatur a Sacramentorum susceptione, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel ab Ecclesiastica sepultura.

Dividitur tertio in Latum ab homine, & Latum a jure. Demum in latum tanquam censuram, seu ut pœnam medicinalem ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipientis, & in latum ut puram pœnam vindicativam peccati præteriti.

III. Dubium est primo; An posito Interdicto locali censeatur simul positum personale? Aut e converso posito Interdicto personali Communitatis censeatur positum locale?

Respondeo negative cum communi apud Laym., & Hurt. diff. 3. Quare posito Interdicto locali etiam generali, verbi gratia, interdicta Civitate non sunt interdicta personæ Civitatis, nisi tantum illæ, ob quarum culpam positum est Interdictum locale, ex cap. *Si sententia, de sententia excommunicat. in 6.*; reliquæ vero possunt extra locum interdictum interesse Divinis. Eodem modo posito Interdicto personali generali non censeatur locus interdictus, ut communiter docent cum Con., Suar., Hurt. contra Covar., & Henr.; si cum unum non trahat alterum. Quare interdicto populo alicujus Urbis, possunt Clerici, qui non sunt interdicti, celebrare divina officia in Ecclesiis, etiam januis apertis, & pulsatis campanis, ut possint confluere alienigenæ, qui non sunt cives, sed vel negotii, verbi gratia,
vel

vel studiorum causa ibi commorantur; Nisi aliquando per accidens id non liceat, quia scilicet interdicti non possunt aliter a templo excludi. Ubi advertet, quod interdicta aliqua communitate, si quis desinat esse membrum illius communitatis, verbi gratia, per mutationem domicilii, desinit esse interdictus, si causam illi sua culpa non dederit; sicut e contra, si quis fiat de novo membrum communitatis interdictae, tunc incipit ligari Interdicto talis communitatis, ut notant Laym., & Ayil.

IV. Dubium est secundo; A quibusnam servari debeat Interdictum locale?

Respondeo, ab omnibus omnino, etiam ab Exteris, a Religiosis, ab Innocentibus, ab ipsomet terente Interdictum; quia haec non est prohibitio facta personis directe, sed est privatio divinorum officiorum loco imposita, & talis obligatio nascitur a jure communi, cui ferens Interdictum derogare non potest: Solum potest, qui Interdictum tulit, illud suspendere, vel tollere, aut simpliciter, aut ad aliquos effectus, & sic potest ipse divina officia celebrare.

V. Hic autem advertet, quod interdicta Civitate intelliguntur interdicta non solum loca Religiosorum, suburbia, & aedificia continentia, ut diximus; sed etiam Ecclesia Cathedralis, ut communiter docent contra Escob., Covar., & Henr., aliter enervaretur vis Interdicti: Sic Interdicta Diocesi intelligitur Civitas interdicta, & interdicta aliqua Ecclesia intelliguntur interdicta ejus Cappellae, & Cimetarium: Contra vero interdictis Cappellis non intelligitur interdicta Ecclesia, & interdictis ab Ordinario omnibus Ecclesiis Civitatis per Interdictum speciale, non intelliguntur interdicta Ecclesiae exemptae Religiosorum; quia haec ab Ordinario interdici

non possunt per Interdictum speciale, sed solum per generale.

VI. Dubium est tertio; Quinam obligentur per Interdictum personale generale?

Respondeo, interdicto populo, vel alia communitate, interdictas esse omnes personas talis communitatis, etiam innocentes, etiam habitantes in suburbiiis, (modo sui juris non sint, nec habeant honores, & onera distincta) etiam Marchiones, Duces, &c., si censeantur esse de tali populo.

Primo tamen excipiuntur Episcopi, si non fiat de iis expressa mentio, ex cap. *Qui periculosum*, de *sententia excommunicationis in 6.*

Secundo, Clerici, & a fortiori Regulares; quia nomine populi non veniunt Ecclesiastici; Notat tamen Bonac., quod si aliqua familia interdicatur, etiam Clerici illius familiae sunt interdicti; quia tale Interdictum est speciale relate ad omnes personas talis familiae.

Tertio, Infantes, & Amentes, quippe incapaces obligationis; quamvis non debeant sepeliri in loco Sacro, ut dicemus, cum haec obligatio cadat in eos, qui sepeliunt.

Quarto, Exteri, qui studiorum, vel negotiorum causa ibi habitant, etiam si longo tempore; quia non censentur membra talis communitatis, juxta satis probabilem opinionem.

Quinto, qui per mutationem domicilii desinunt esse illius populi.

Sexto, qui habent duplex domicilium, alterum in loco interdicto, alterum in non interdicto; quando non habitant in loco interdicto, si non dederint causam Interdicto.

Septimo, qui tulit Interdictum; quamvis enim subjiciatur Interdicto locali, non tamen personali generali, cum non possit seipsum punire: Quod si Interdictum feratur in Clerum, probabiliter non comprehenduntur Religiosi,

giosi, ut diximus quæst. super. art. 2. cum Pal., & Avil.; Nec comprehenduntur Clerici, qui solum habent privilegium Canonis, & non fori; cum hi reputentur sæculares.

ARTICULUS II.

De Effectibus Interdicti.

- I. *Non nisi tres sunt effectus Interdicti, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum, & Ecclesiastica Sepultura. Plura tamen in cap. Alma Mater permittuntur.*
- II. *Quanam Sacramenta vi Interdicti prohibeantur?*
- III. *Qui privilegio gaudet audiendi Missam tempore Interdicti, num die festo teneatur illam audire?*
- IV. *Quanam dicantur Divina officia tempore Interdicti vetita?*
- V. *Quanam possint tempore Interdicti Divinis officiis, quæ permittuntur, interesse? Num infantes? Num Clerici conjugati? Num familiares eorum, qui privilegio gaudent?*
- VI. *Ecclesiastica sepultura quibusnam, & quando per Interdictum prohibeatur?*
- VII. *Num possit Ecclesiastica sepultura dari Interdicto, aut Suspensio ab ingressu Ecclesia? Et quid interest inter Suspensionem, & Interdictum ab ingressu Ecclesia?*
- VIII. *Interdictus nominatim denunciatus non privatur usu jurisdictionis in foro externo.*
- IX. *Num sit invalidum, an solum illicitum Sacramentum Pœnitentiæ ab Interdicto administratum?*

I. **T**Res sunt, ut diximus, Interdicti effectus, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium officiorum Divinorum, & Ecclesiastica sepultura. Bonifacius VIII. jure novo in cap. *Alma Mater* tria indulgit

tempore Interdicti, (videlicet localis generalis, ut patet ex contextu) quæ jure antiquo erant prohibita. Primum circa Sacramentum Pœnitentiæ, quod possit ministrari omnibus, qui non dederunt causam culpabilem Interdicto; vel qui suo consilio, auxilio, aut favore non concurrerunt ad delictum, propter quod lata est sententia Interdicti; Istitis tamen solum in articulo mortis permittitur Sacramentum Pœnitentiæ. Secundum, quod possint celebrari missæ, & alia divina officia a Clericis in singulis Ecclesiis, (quo nomine ex Bonac. veniunt etiam hospitalia erecta auctoritate Episcopi, & Oratoria privata approbata ad missas in iis celebrandas) necnon in monasteriis; sed januis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, exclusis laicis non habentibus privilegium, exclusis etiam excommunicatis, ac interdictis, scilicet denunciatis, cum hos tantum excludere teneamur, ut notat Pal. Qui tamen si nolint exire, non proinde tenetur Sacerdos omittere Sacrum, ut putant Suar., & Laym., cum non sit eadem ratio de excommunicato, ac de interdicto denunciato. Tertium, quod in quatuor festivitibus præcipuis anni, videlicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, possint officia celebrari solemniter januis apertis, alta voce, pulsatis campanis, & interdictis admissis, dummodo altari non appropinquent, qui dederunt causam Interdicto, idest, ut exponit Suar. disp. 14. sect. 1., dummodo non communicent, nec ab iis oblationes accipiantur.

Hoc privilegium extendit Martinus V. ad festum Corporis Christi Domini; & Eugenius IV. ad totam ejus octavam; Et Leo X. extendit ad festum Conceptionis Beatæ Virginis, & ad ejus octavam, ut notat Avil. part. 5. disp. 4. sect. 2. ex Sylvest., Henr. cap.